

IN LIBRUM TERTIUM

EPITOMA.

V Alidissima in Turcos classis parata est : Divo Antonio ædes fundata : Jaderenses novissime ab imperio defecere : Veneti prospere in Lodovicum Regem ad Jaderam dimicarunt : Urbs ipsa de ditione recepta est : Ingens motus terræ horrendè urbem concussit : Fœdissima pestilentia civitatem miserabili modo deformavit : Induciæ cum Lodovico Rege in quinque annos pactæ sunt : Justinopolitanorum defectio Veneta arma in Histriam excivit : Tertii belli Ligustici causæ : Decem Ligusticæ naves Carystio portu a Veneto sunt oppressa : Ligur, Veneta classe absente, Chalcidem expugnavit : Veneta & Aragonia classis in Ionio fœda tempestate cum periculo jactatæ sunt : Genuenses in tres potentissimas classes uno tempore circa Bosphorum prospere pugnarunt : Veneta & Aragonia classis in ora Inferi maris validam Genuensium classem ingenti prælio vicerunt : Genuenses libertatem ira perciti abjecere : Ligur, reparatis viribus, Parentium occupavit : Plerasque Venetas onerarias non uno loco oppressit : Ingens Venetorum classis ad Sapientiam insulam a Ligure oppressa est. Phalerius Dux affectati regni convictus, meritis Patribus & populo cum sociis conjurationis luit pœnas.